



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Christus hordeaceum panem vulneri intinctum reddit suauem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Hoc pacto, in D. Francisci vita legimus, Angelum, vnius chordæ vel tractu, vel tactu, cor Francisci ita tetigisse, vt omnis molestiæ, quam patiebatur, obliuisceretur. Hoc pacto egit cum Clerico illo, qui ad Claram vallem venit, vt, relictis seculi curis, Deo soli famularetur. Is, quia corpus antea delicatè habere assueuerat, à communi fratrum pane pisisque vehementer abhorrebat. Duo igitur metuebat æquè, famem scilicet, & famis medicinam, refectionem. Nocte ergo quadam cura propemodum tabescenti, Mundi Reparator Christus comparuit, manu tenens frustum eiusmodi panis, quo ceteri solebant vesci Religiosi. Hunc ei porrigens dixit: *Comede panem istum.* Ad quæ cum Nouitius responderet: *Domine, nequaquam vesci potui pane hordeaceo; Christus vulnere lateris sui panem eundem intinxit, & porrectum comedere iussit. De quo cum gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore eius.* Itaq; ex illo tempore, & panem atrum, & fabas, & reliqua legumina, cibosque regulæ conformes, quos priùs digitis attingere, nausea illi erat, magna delectatione comedit. Nempe nihil dulce non est, quod sanguine Christi imbuitur. Dixerat olim Deus: *In sudore vultus tui vesceris pane;* falsus sudor amarum tunc fecit panem; nunc dulcis Christi sanguis panem dulcem reddit, quem ab illo acceptum, læti edimus.

Venit aliquando populus in Mara, nec poterat bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ. Et murmurauit populus contra Moysen dicens: *Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem verse sunt.* Mara est Mundus, in quo quid non amarum? Venit Christus, & ostendit nobis suæ Crucis lignum, dicens: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Qui ergo Cruce illius scit vti, suaue iugum facit, & suaue illi est, quicquid est alijs amarum. Salsæ solent esse atque amaræ lachrymæ, sed Cruce sanguinéque Christi dulcescunt. *Dulciores sunt lachrymæ orantium,* inquit S. Augustinus, *quàm gaudia theatrorum.* Terrenis hominibus mentem leuare, graue est; leue crucis baculo nitentibus. *Orando enim,* ait S. Bernardus, *bibitur vinum letificans, vinum spiritus, quod inebriat, & carnalium infundit obliuionem.* Amarum & falsus est panis sudore vultus permistus; sed Crucis lignum in panem missum (non quemadmodum à Iudæis toxicum, quo panis inficiebatur) ad Moysis figuram, amaritiam pellit, nectar facit & ambrosiam. Cui enim

IV.

Idem Cæsarius lib. 4. c. 80.

Gen. 3. 19.

V.

Exod. 15. 23.

S. Bernard. serm. 18. in Cant.

Z

non